

direptum atque incensum est : qua in direptione mulieres 1509
 virginesque prope omnes a militibus vim passæ ac viola-
 tæ, oppidi casum inhonestiorem reddiderunt. Eo negotio
 confecto Hispaniæ regum legatus Lauredanum Patresque
 gratulatum adiit, scire se affirmans suos reges magnam
 ex eo voluptatem percepturos. Pauloque post Mantuani
 ducis equites quatercenti, milites sexcenti, Alexio duce
 ad castellum Casaboldum, quod abest ab Asula oppido
 in Brixianorum finibus millia passuum quatuor, cum tor-
 mentis, id ut caperent, improvisi accesserunt. Pagani,
 qui in eo erant, armis captis fortiter se defendere cœpe-
 runt : simul ad Federicum Contarenum a Decemviris le-
 gatum Asulanis præesse iussum miserunt, auxilium implo-
 ratum. Federicus confestim quingentis militibus, quos ha-
 bebat fortes viros, ut eo contenderent, petentibusque opem
 ferrent, imperavit. Ille celeriter itinere confecto, prælium
 cum Mantuanis commiserunt, eorumque partem interfe-
 cerunt, partem ceperunt : reliquis in fugam coniectis tor-
 mentisque abductis, nullo ex suis desiderio, vulneratis
 perpaucis, læti Asulam ad Federicum reverterunt. Ea
 clades Mantuæ nunciata magnos luctus excitavit : erant
 enim in ea manu honesti cives permulti, quorum pars
 major interierant.

*Gonzaga
 Asulam frustra
 adori-
 tur.*

Veneti, quod Trevio capto oppidum militibus diripien-
 dum tradiderant, haud levem ex ea re jacturam fecerunt :
 plurimi enim milites tribunis & centurionibus relictis cum
 præda vulgo domum profugerunt : ut magna illos pertur-
 batio tenuerit. Eo incommodo ad regem ab exploratoribus
 perlato, qui Mediolanum calendis maji venerat, pauloque
 antea ex oppidi & suorum deditione graviter commotus,
 quo utiliter belli consilia verteret, non reperiebat, omni-
 bus suis coactis copiis Cassianum venit, ut cum vellet, flu-
 men trajiceret. Habebat autem lectissimorum equitum mil-
 lia quindecim, quibus duces clari nominis præerant, mi-
 litum triginta : eorum pars Helvetii, Vascones reliqui
 erant. ad hæc omnem fere totius Galliæ nobilitatem sibi
 stipendiariam secum ducebat. postremo, quicunque in Gal-
 lia

*Gallorum
 exercitus.*